DE MORBIS,
QUI
HOMINEM AD MILITIAM INVALIDUM REDDANT,
ET
DE RATIONE,
QUA
MORBOS SIMULANTES SINT DEPREHENDENDI.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-MILITARIS,
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA FRIDERICA GUILELMA,
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR.
DIE V. M. AUGUSTI A. MDCCCXXXI.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET AUCTOR

JOANNES THEODORUS OHMES,
HILDESIENSIS.

OPPONENTIBUS:
C. SCHMELZER, MED. ET CHIR. DR.
W. PILZ, MED. ET CHIR. DR.
C. SCHICKEYSEN, MED. ET CHIR. DD.

BEROLINI.
FORMIS REIMERIANIS.

VIRO

PERILLUSTRI, EXCELLENTISSIMO, GENEROSISSIMO

JOANNI A WIEBEL,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, AUGUSTISSIMI BORUSSORUM REGIS ARCHIATRO PALATINO, EXERCITUS BORUSSICI PROTOMEDICO REIQUE OMNIS MILITARI-MEDICAE PRAEFECTO SUMMO; REGI A CONSILIIS INTIMIS RERUM MEDICINALIUM ET SANITATIS; SEMINARII REGII MEDICO-CHIRURGICI FRIDERICO-GUILELMIANI ET ACADEMIAE REGIAE MEDICO-CHIRURGICAE MILITARIS DIRECTORI; ORDINUM BORUSSICORUM REGIORUM AQUILAE RUBRAE IN CLASSE SECUNDA ASTRO ET FRONDE QUERNA DECORATAE, CRUCIS FERREAE IN EADEM CLASSE, AUSTRIACORUM CAESAREORUM CORONAE FERREAE IN CLASSE SECUNDA ET LEOPOLDINI, RUTHENICORUM CAESAREORUM ST. ANNAE GEMMIS DECORI IN SECUNDA, WOLODIMIRI IN TERTIA CLASSE, REGII BAVARICI CORONAE, REGII BATAVICI LEONIS IN TERTIA CLASSE EQUITI, LEGIONIS HONORARIAE REGIS FRANCOGALLORUM DECURIONI; ACADEMIAE REGIAE BORUSSICAE COMMUNIUM SCIENTIARUM ERFURTENSIS MEMBRO ORDINARIO, CONSILII MEDICINALIS IN RERUM CLERICARUM INSTITUTIONISQUE PUBLICAE MAGISTRATU SUMMO CAESAREO RUTHENICO PETROPOLI, NEC NON SOCIETATIS PHILANTHROPICAE CAESAREAE RUTHENICAE IBIDEM, COMPLURIUMQUE ACADEMIARUM AC SOCIETATUM LITERARIARUM BONNAE, PARISIIS, ERLANGAE, NEAPOLI SODALI ETC.

PATRONO

SUMME VENERANDO

NEC NON

VIRO

PERILLUSTRI, LONGE PRAESTANTISSIMO, AMPLISSIMO

CHRISTOPHERO KNAPE,

PHILOSOPHIAE, MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, AUGUSTISSIMO BORUSSORUM REGI A CONSILIIS INTIMIS, NEC NON A CONSILIIS RERUM MEDICINALIUM ET SANITATIS SUPREMIS, PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO IN UNIVERSITATE LITERARIA BEROLINENSI ATQUE IN ACADEMIA MILITARI MEDICO-CHIRURGICA, COLLEGII REGII EXAMINIBUS PRAEFECTI SUMMI, ORDINIS AQUILAE RUBRAE BORUSSICAE EQUITI IN CLASSE TERTIA, NEC NON SOCIETATUM COMPLURIUM LITERARIARUM SODALI, ETC. ETC. ETC.

PRAECEPTORI ET FAUTORI

AD CINERES USQUE PIO ANIMO COLENDO

HASCE

LITERARUM PRIMITIAS

EXIGUUM

ANIMI GRATISSIMI DOCUMENTUM

OFFERT

AUCTOR.

PROEMIUM.

Quum jam cujusvis intersit medici militaris ad novum artis suae munus excercendum accedentis, ut quam maxime militum valetudinem anquirere sciret imprimisque, quae ad aufugienda officia militaria saepenumero adhiberi soleant, artes fraudesque nosset: tum mihi quoque hanc rem accuratius percontandam et, quantopere equidem possim, hac dissertatione explicandam atque illustrandam sumpsi. Etenim quamvis nondum annum militaris medici fungar vice, in hoc tamen temporis spatio tam exiguo haud raro accidit, ut morbi simularentur ab iis, qui aliquamdiu armorum usui vel excubiis agendis subtrahere se vellent. Quocirco summopere est cavendum, ne isti dolis artem superantes sese efferant medicosque ut imperitos atque insipientes despiciant, neve reliquis melioris animi militibus majus commilitonum inertia onus addatur, quod ipsis etiam ceterorum munera sunt subeunda. Hac de causa, quae spectantia ad hanc rem in singulis doctissimorum libris medicorum inveniuntur mihique innotuerunt, ipse perlegi et, quae medici veterani et patrii et peregrini de hac re animadverterunt et conscripta reliquerunt, quasi ad meum usum composui, passim, quae mihi ex re videbantur esse, adjeci. Et quoniam mos invaluerit, ad consequendam doctoris dignitatem, inauguralem dissertationem in lucem proferendi, has literas excudi jussi. Ceterum meae mihi conscius scientiae mediocritatis benigno velim et facili animo legatur primum quod edo opusculum fiatque lene ejus judicium. —

Sequuntur proxime scriptores, quos ad componendam hanc dissertationem legisse me jam in proemio perhibui.

1. Flavius Vegetius de re militari.
2. Galeni libellus: Quomodo simulantes morbos sint deprehendendi.
3. Isfordink's militairische Gesundheits-Polizei, mit besonderer Beziehung auf die k. k. österreichische Armee. Wien 1827.
4. Josephi Grundrifs der Militair-Staatsarzneikunde etc. Berlin 1829.
5. Niemann's Taschenbuch der Militair-Medizinal-Polizei etc. Leipzig 1829.
6. Hempel's Handbuch der Krieges-Hygieine. Göttingen 1822.
7. Jansen praef. A. R. Vogel de simulatis morbis. Goettingae 1769.
8. Ereholm's Handbuch der Krieges-Hygieine. Leipzig 1818.
9. von Froriep's Notizen aus dem Gebiete der Natur- und Heilkunde, vol. 15. et 18.
10. Dictionnaire de sciences medicales, Tom. 51. etc.

INTRODUCTIO.

Militia ob varias molestias contentionesque validos ac robustos homines magnitudinis expetit idoneae, reliqui civitatis legibus sunt exclusi, commoda sua sequentis. De hac re dijudicare medici est militaris, qui ex officio et jurejurando discernere debet, utrum ad rem militarem apti sint juvenes necne. Sed quod in bellis gerendis haud mediocres aerumnae insunt, quod persaepe in summum vitae discrimen venitur, summa obeunda sunt pericula, ab ignavis vel patriae negligentibus iisve, quos alios aliae causae domi retinent, evitatur res militaris et quum leges nonnisi aegros militia prohibeant, morbi aut simulantur aut re vera temere adducuntur. Verum etiam ultro quidam nonnunquam, ut inter milites conscribantur, operam dant, et morbos, aliasque causas re militari arcentes aequo studio dissimulant, quippe qui egestate coacti, aut sceleribus commissis aliam vivendi rationem sequi nolint. — Ceterum inter omnes constat, nunc temporis prioris generis fraudes multo rarius reprehendi, quam tempestatibus praeterlapsis, idque maxime in ipsa nostra Borussorum civitate optima disciplina moderata. Neque vero id mirum cuiquam videri potest. Quum antea, quicunque vellent, militibus adscriberentur, dummodo robore praediti essent atque externo quodam habitu formidoloso: in hac, qua fruimur, civitatis administratione et moderatione recentiore saluti communi ad unum omnes operam studiumque impendere debent, nec di-

tissimi largiendo, neque ipsi studiosi literarum liberantur, neque ex infima plebe hominibus patriae salus permittitur. Hoc modo spreta olim vilisque militia et honorem et dignitatem et auctoritatem est apud nos adepta. Cur igitur vir probus et regis patriaeque amans arma recuset, quibus solis hostis aggrediens est repellendus ac sui cuique sunt defendendi? — praesertim quum regia clementia atque humanitate omnes poenae turpes ac crudeliores plane sint abolitae. — Accedit, ut nonnisi tres anni continui armorum exercitationi tribuantur, sane breve admodum temporis intervallum, quo peracto ad suum cuique focum redire licet, nec profecto operarius hoc spatio artem dedidicit, nec rusticus agri natura desuevit. Et quanta est legum militarium erga literarum studiosos lenitas! Annum armis uti sat est, quod facilius propter ipsum ingeniorum cultum exercitationum genera et quaecunque ad rem pertinent militarem comprehendere eos aequum est. Quae cum ita sint, summique honores probos milites exspectant, quid cogitari turpius potest, quam militiam astute et callide effugere juvenes? nihil enim est aliud, quam ab ipsa se laude bellica honoreque civium removere. Quod si jam perraro accidit, ne tamen vel pauci legem ludant, impediendum est. Et a quo magis impediri potest, quam a medicis militaribus, quorum est conscribendorum veletudinem examinare? Hanc propter causam digna mihi visa est haec ipsa res, quae dissertatione inaugurali quam optime posset fieri, describeretur atque exponeretur. —

Utar hac dispositione:

I. Qualis sit corporis status ad rem militarem aptissimus, quibusque notis cognoscendus?

II. Quales homines plane sint ad militiam inutiles?

III. Minus validos et aegrotantes non semper esse removendos a re militari, sed in militum numerum adscribendos:

1) si ad aliquod certe militiae genus adhiberi possint,
2) si exspectare possis, fore, ut brevi sanentur morbi.

IV. Qua ratione ipsa tironum valetudo examinanda sit?

V. Quales morbi simulari soleant et quomodo sint medico detegendi?

Cap. I.

Qualis sit corporis status ad rem militarem aptissimus quibusque notis cognoscendus?

Integro animo et corpore sit, necesse est, qui ad militiam accedit suscipiendam. Ne sit demens vel fatuus; cernendi, loquendi, audiendi habeat facultates, sensibus denique uti possit omnibus. Aetas sit media, i. e. juvenilis, corpori nec minori, nec majori insit vigor abundans et habilitas. Nonnunquam nimium corporibus proceris est tributum, sed nullo, credo, jure. Ipsa enim illa multo facilius laboribus et molestiis vincuntur, quam staturae mediae homines pressis membris et solidis. Idcirco jam Vegetius de re militari capite sexto: utilius esse, dicit, fortes milites esse, quam grandes.

Corpus validum et constans his fere notis cognoscitur: habitus erectus et virilis, non nimia proceritas, omnium partium proportio quam maxima; ne sit igitur caput grandius, neve gracilius, ne collum crassius, ne abdomen dependeat; sani, nec minus robusti deinde hominis sunt: color faciei vegetus ac purus, oculi alacres nitidique, dentes salvi, gingiva rubra et solida, vox clara et fortis, cervix robusta torosaque, pectus latum et bene concameratum, spiratio facilis, pulsus normalis, ossa et membra firma et valida, cutis aequaliter extensa puraque, adeps modicus, pilorum abundantia; motibus vigor insit et habilitas, gressui firmitas.

Quibus notis unus idemque homo etsi non omnibus utatur, tamen quo plures habeat, eo erit ad militiam aptior; eo facilius itinerum diuturnorum sustinebit molestias, egere se multis patietur, quibus uti fruique alias solebat, tempestatibus coelique temperaturae diversae non accumbet, omnibus denique, qui saepenumero in eum incidunt, laboribus atque aerumnis optime resistet, nec commilitonibus sua imbecillitate et invaletudine opera augebit, nec respublica sumtus frustra faciet.

Animadvertendum mihi videtur, saepe juvenibus egenis habitum esse macrum et famelicum, musculos tenues, tales non invalidi sunt habendi, sed ut aptissimi ad rem militarem adscribendi, quia satis cibis fruiti et vestimentis bonis induti brevi reficiuntur, et robusti milites excellentesque fieri solent.

Cap. II.

Quibus morbis juvenes militia plane prohibeantur?

Cuncti morbi, dum hominem premunt affliguntque, invalidum eum reddunt. Sed de acutis hoc loco morbis non agi, potest facile intelligi, quia ipsis feliciter depulsis, aeque bona atque antea homo utitur valetudine. De iis mihi dicendum est, qui chronici appellantur et permanentes, quibusque homo in omne vitae tempus ad rem militarem fit inutilis. Hujus rei leges, quum in civitatibus aliis aliae esse soleant, de talibus mihi agere liceat, qui ex sua natura invalidos reddant juvenes. Qua in re hi potissimum morbi observandi videntur, qui vel efficiant, ut homo militiae muneribus fungi omnino nequeat, et ipso in sustentando civitas opes prodigat, vel qui etsi vir alioquin sit ad rem militarem utilissimus, comilitonibus tamen eum reddunt molestum et aversum.

Itaque invalidos faciunt juvenes:

I. Omnes animi et mentis nervorumque morbi chronici, quales sunt: vesaniarum genera: mania; amentia; nimia vel lenitas, vel hebetudo animi, vel stupiditas, vel imbecillitas obliviove; nec non hypochondria vel melancholia nimia; noctambulismus; spasmi et convulsiones, ut epilepsia, catalepsis, chorea St. Viti, palpitatio cordis vehemens.

II. Abolitiones omnes sensuum et motus: ut apoplexia, vertigo, paralysis, cujuscunque sit partis; amaurosis, haemeralopia, nyctalopia, myopia, cataracta, quicunque alius morbus visum vel plane tollens, vel conturbans valde; surditas et quae semper fere conjuncta cum ea est mutitas, et vitio alio v. g. palato bifido impedita loquendi potestas.

III. Profluvia varia praeternaturalia.

Huc pertinent praecipue: haemoptysis, haematemesis, nisi laesis vi mechanica vasis exortae sint, sed tota organismi conditione morbosa et permanente sive innata, sive aliquo casu genita, effectae et propterea certis temporis intervallis redeunt. Homines talibus laborantes haemorrhagiis militiae inservire neutiquam possunt, quoniam hac vitae ratione permultis molestiis, modo aestu, modo frigore, aliisque incommodis corpus affligatur, qua ex re non modo augeri haec conditio morbosa, sed etiam in summum vitae discrimen homo adduci potest.

Enuresis, quae idoneis quamquam remediis adhibitis, diu tamen permansit et cui mederi non posse creditur.

Diabetes, quamvis curatus, debiles tamen et cachecticos reddit homines, qui ad militiam minime sunt utiles.

IV. Morbi cachectici, quales sunt: omnia hydropis genera, scorbutus, scrofulosis, rhachitis, icterus et arthritis, si sunt indolis chronicae atque hominem debilitant, praeterea kyanosis, nec non ischias et rheumatismus chronicus.

V. Phthisis omnium organorum, nec non tabes pulmonalis et nervosa atque atrophiae.

VI. Morbi locales:

1) D e f e c t a. Si extremitas, vel membrum quoddam, vel dentes anteriores, vel alia pars v. g. nasus, unde gravetur respiratio, deficit, quo homo in re militari perfungenda oneratur: militiam subire non licet.

2) D e f o r m i t a t e s. Enumerari merentur imprimis: lordosis, gibbus, scoliosis, pes planior, qui non est commutandus cum pede lato, id, quod ill. G o e r k e jam satis bene demonstravit.

3) Anchylosis.

4) Contracturae.

5) Luxationes, fracturae, herniae non sanatae ita, ut ii, qui his malis laborant, nullo modo onerentur.

6) Lithiasis nec non aneurysmata, varices, scirrhus, cancer; quae vera mala nonnisi eximia nec brevi sananda militia arcent.

7) Fistulae omnes incurabiles, prolapsus ani inveteratus, polypi, qui haud facile removeantur, sed tamen impediant, quo minus spiretur, vel dicatur, vel audiatur facile; struma magna atque insanabilis respirationem aliquo modo impediens; testes intra annulum abdominalem vel pone eundem retenti; sarcocele, hydrocele, varicocele, laesi vel testes, vel funiculus spermaticus, si morbos revera constituunt nec solae sunt deformitates; exanthemata omnia incurabilia, ut scabies vel herpetes inveterati, omnes denique tumores chronici, ejusdemque indolis excrescentiae, ut tumor albus, fungus vel haematoides, vel medullaris; ulcera a causis internis naturae scrofulosae, scirrhosae et cancerosae, et pertinacia nec operatione nec medicamentis radicaliter sananda, propter quae militia suscipi igitur nequit.

Cap. III.

Minus validos et aegrotantes non semper esse removendos a re militari, sed in militum numerum adscribendos:

A. si ad aliquod certe militiae genus adhibere possint,

B. si exspectare possis, fore, ut brevi curentur morbi.

A. Nonnunquam fieri solet, ut bello diutius gerendo, vel certamine cum hoste multo validiore inito, juvenes militiae idonei magnopere desiderentur. Tali civitatis conditione, quibuscunque rei militaris muneribus non opus est fortissimis et robustissimis viris, ea minus validis tradantur fungenda necesse est, quo minus validiorum numerus talibus negotiis facilioribus diminuatur.

Neque vero ii dimittendi, sed potius in nosocomio militari curandi sunt, quibus levia tantum vitia inhaereant, quae tamen nonnisi externa neque inveterata mala esse oportet. Itaque sola externi habitus menda nobis sunt describenda, quoad huc pertinent:

I. Capitis vitia.

1) Oculorum; amblyopia, myopia levis, strabismus, etiam oculus deficiens, alia menda levia palpebrarum tormentorum pyriorum usu excludunt, sed homines his vitiis laborantes, siquidem ceterum integri validique sunt, ad alia rei militaris negotia adhiberi possunt: calones sunto, vel in nosocomiis aegrotantibus serviant, vel nuntii militares, sive alia vice fungantur, ad quam oculorum acies non ita sit necessaria.

2) Dentium; si dentes incisivi et canini plures vel omnes desunt, idem observandum est quod supra, quia farturas pulveris nitrati (Patronen) talis homo demordere non potest; sed equite quoque eo uti licet, quippe cui rarius tormento pyrio sit confligendum.

3) Naevi materni, nisi hominem praeter modum deforment, militia non magis arcent, quam

4) Labium leporinum sanatum ineleganter et

5) Palatum vitiose perforatum, quod curatum loquendi nonnisi leve impedimentum offerat, neque efficiat, ut difficilius verba intelligantur.

6) Aurium externarum defectus, nisi audiendi facultas simul est abolita, virum re militari non absolvit.

II. Trunci et extremitatum vitia.

1) Humerus prae altero elatior non minus quam

2) Thorax paullo obliquius concameratus vel planior, peditum munera suscipi non patitur, quod sarcinae portandae ob turbatam symmetriam dolorem efficiunt; attamen aut equitum, aut calonum officiis fungi nihilominus licet.

3) De digitis hoc animadvertendum: Digiti medii aut minimi defectum, quamquam e legibus hominem invalidum reddat, ex re ipsa neutiquam id efficere puto; etenim nullum fere ex hoc malo nascitur armorum tractandorum impedimentum. Ipsius indicis digiti jactura tolerari vel substitui potest. Quam rem exemplo mihi illustrare liceat, quod mihi ipsi evenit inter breve tempus, quo medici militaris munere fungor. Tiro quidam ferramento aliquo hebeti, casune, an sua sponte, nescio, omnem digiti indicis manus dextrae substantiam muscularem una cum tendine ad os usque transcidit. Brevi curatus quidem est digitus, extremae tamen phalangis motu penitus sublato. Praecepit deinde centurio, ut iste medio digito tormentum exploderet, id quod mox ex usu eadem, ac si indicem digitum adhiberet, habilitate faciebat. — Talis homo, cui digitus sit inflexibilis, aut quem digitus unus plane deficiat, quamquam in tormenti usum lex talem non vocat, nihilominus qua calo militiae prodesse licebit.

4) Pedum vitia, qualia sunt pedis digitus alius super alium jacens, id quod plerumque eo nascitur, quod calceis nimis angustis pueri pedes comprimere solent, etiam

multi magnique clavi, numerus digitorum pedis vel auctus vel imminutus, quaeque alia mala pedes deformantia, ut pedes planiores, praeter modum sudantes, peditum munera exsequi non patiuntur, equitum muneribus tamen non arcent.

Nota. Adjicere mihi liceat, truncum certa ratione stabilique modo cum extremitatibus comparari non posse. Hominum enim, qui aeque magni esse videntur, nec trunci, neque extremitates aequi nonnunquam sunt. Observari autem illud ex hac re licet, quod viri, qui stantes aequa erant magnitudine, considentes multum saepe discrepant. Cujus animadversionis satis quidem notae ratio habenda est medico ad destinandum militum genus, quum duo tales etsi peditum muneribus fungi aeque bene possint, tamen equitatui non eodem modo sint adscribendi, quoniam melius est equitis crura longiora esse.

B. Quum juvenes propter morbos leves, quibus brevi mederi possis, militibus adscribi liceat, prius in nosocomio militari sunt tractandi. Ejusmodi vitia haec sunt:

1) Debilitas corporis ceterum sani vel reconvalescentis.

2) Spasmi leves ac recentes.

3) Exanthemata varia, quibus curatio nondum est adhibita.

4) Varia tumorum genera, ut sarcocele, tumor lymphaticus, cisticus, operatione chirurgica sanatu facilia.

5) Ulcera atque vulnera, nec non

6) Ophthalmiae brevi tempore sanabiles.

7) Labia leporina; omnia denique mala leviora, quae sine vitae periculo ope chirurgica levari possunt.

8) Luxationes et fracturae recentes et leviores.

9) Syphilis non inveterata.

Cap. IV.

Qua ratione ipsa tironum valetudo examinanda sit?

Optima anquirendi tironis valetudinem via haec mihi esse videtur: Primo universe intueatur hominem medicus examinans a capite ad calcem usque, videatque, an proce-

ritas sit sufficiens, aut, legibus certum modum praescribentibus, sub mensuram eum ducat. — Deinde scrutetur, an externis vitiis et monstrositatibus deformatus militia sit arcendus. Tum omnino ex eo quaerat, sitne sanus, an quibus morbis laboret; jamne militiae muneribus functus sit ejusque rei testimonia a magistratu loci, sive a medico, cui curatio commissa erat, conscripta ostendi sibi jubeat. — Tali modo medicus, si generalibus his quaestionibus jam invalidum hominem cognoverit, et magnam saepe inquisitionis specialis partem omittere poterit, et ad morbos relatos magis animum advertet, atque de mentis conditione, linguaque et audiendi facultate certior fiet.

Si singulariter hominem medicus anquirat necesse est, etiam si testimonia adsunt, ne quid negligatur et praetermittatur, hanc sequatur rationem:

1. Virum cognoscendum omnes jubeat medicus exuere vestes, intueatur totum corporis habitum a capite ad pedes, a fronte atque a tergo, ad symmetriam et trunci relationem ad extremitates; cognoscat, deficiantne an deformentur extremitates membraque. Tum deambulare semel atque iterum hominem jubeat, movere extremitatum articulos modo huc, modo illic. Quo facto si validum eum putet, diligentius perscrutetur omnes corporis partes et incipiens a capite

1) inquirat, an deformatum sit caput intumescentiis, cavationibus, capilline innati sint an galericus cooperiat ipsorum raritatem sive defectum, an tinea adsit maligna, fonticulique et suturae sint clausi.

2) Oculos anquirat, palpebras, cilia, carunculam et glandulam lacrimalem, adsitne fistula lacrymalis, conjunctivam, corneam, sitne pellucida an maculis aliisve vitiis notata, irisne et pupilla mobiles et magnitudine normali, qualis sit lens, num adsit cataracta; retinam circumspiciat, laboret amaurosi, an lucem sentire nequeat, an strabismus adsit.

3) Nasum perquirat, sintne nares obstructae polypis, an membrana Schneideriana relaxata, falsus, quem dicunt, polypus adsit, vel ozoena ulcerave gravia. Nonnunquam concham superiorem dextrae partis ita eminuisse dicunt, ut facile conspecta ab examinatoribus imperitioribus polypus sit habita.

4) Deinde labia inspiciat, sintne liberi ulceribus scirrhosis cancerosisque; os aperiat, ut cognoscat, num anima foeteat, dentibus non careat, qualis sit gingiva, palatum, num partes interiores ulceribus, faucium polypis sint liberi.

5) Neque aures sunt negligendae imprimis, quum surdum se fingit vir anquirendus, ac videndum, meatus auditorius polyposis intumescentiis sit obsitus, pusne effluat.

6) Jam transit medicus ad anquirendum thoracem, spinam dorsalem, pelvem. Omnino amplius pectus et aequo ubique modo convexum optimum est et valde optandum, sed sternum paulisper pressum, pectus angustum corporis ceterum salvi et robusti, spiratione facili, nisi modice thoracem premendo dolor efficiatur, invalidum non reddit.

7) De columna vertebrali animadvertendum, an sit ad normam directa.

8) De pelvi, num una parte amplior, quam altera et ad normam sit collocata.

9) De alvo perquirendum, an indurationibus, ulceribus, herniis laboret, quod ut cognoscat, tussire aegrotum jubeat medicus.

10) Tum genitalia circumspiciat, perinaeum et anum. Quanti referat, omnes vestes virum exuere et praecipue has corporis partes anquiri, exemplo ostendere mihi liceat, quod ipsi mihi occurrit. Juvenis prolapsu ani laborans, hoc malum, quum perquireretur, tacuerat, quocirca iter ei faciendum fuit amplius nonaginta milliarium ex Borussia veteri Potisdamium, ubi stipendia meriturus erat. Ibi saepe propter validas molestias, quae ex armorum usu et exerci-

tatione proficisci solent, aegrotans primo in nosocomio nostro a medicis curabatur veri morbi ignaris, donec causa delecta est. Tum invaletudinis testimonio descripto demissus idem iter molestum denuo facere coactus fuit.

11) Ad lustrandas extremitates superiores humeri spectandi sunt, num unus prae alterum emineat; deinde lacerti, an sint robusti mobilesque in omnibus articulis, an fracturae vel luxationes reperiantur. Ad hunc finem virum ita brachia protendere jubeat, ut volae se tangant, unde patebit num aequaliter longa sint brachia nec ne; tam protensa brachia in crucis speciem imponat pectori, idemque repetat a tergo, et quidem prius ad cervicem tum ad crucem. Digiti denique visendi sunt, an satis mobilitatis habeant.

12) Inferiora membra jam generaliore perscrutatione apparuit, num flexa sint nimis introrsum vel contra, num brevior alter altero pes sit, ceteraque crurum vitia.

Cap. V.

Quinam morbi simulari soleant et quomodo medico sint detegendi?

Simulandi morbos artes malae fraudesque omnem saepenumero fidem ita superant, ut difficile sit enumeratu, quot medici, quanta astutia et sublimitate, quanta ratione et eruditione, ne damno quidem eximio valetudinis simulantium facto, sint decepti; sunt etiam, qui turpi modo et crudeli, dummodo quod volunt consequantur, sua se manu mutilent deformentque; qui tamdiu fraudem ducant, ut victores evadant pravi certaminis. Quam ob rem medicus imperitior, qui nec legerit, quae alii hanc rem experti descripserunt, neque ipse multa sit expertus, sexcenties fraudibus succumbet callidissimis. Sicuti autem certaturo cuique omnium generum arma paranda sunt et expedienda, ita medicum militarem omnia deprehendendi fraudes reme-

dia prompta habere nihilque inexpertum omittere oportet, ut morbos simulatos detegat. Maxima cum prudentia, doctrina, sapientia et humanitate agere debet, partim ne sit in suspectos injustus durusque, partim ne leges negligat. Quo plures casum difficultates reddunt obscurum atque impediunt, eo diligentius animum ad eum explicandum intendet, eo magis singulas res ei junctas respiciet totiusque corporis status habebit rationem, ut verum a ficto morbo discernat. Itaque hac fere via utetur medicus, ut proxime veritati accedat:

I. Praecepta generalia.

1) Omnino reputet medicus, num causae adsint, quibus ad simulandos morbos et aufugiendam ita militiam homo adduci possit, et quales sint. An bene commodeque domi vitam agat, quum in re militari labores molestiaeque eum exspectant, an sit amore captus, an ignavia, timor, patriae negligentia, pluraque ejusmodi eum ad simulationem commoveant. Quae ut recognoscat, sermone medicus utatur admodum familiari, neve suspicionem ostendat, tentamen potius leve adhibeat. Interdum etiam propterea militiam aversantur viri, quod turpissime tractantur a praefectis minoribus vel minimis, quorum opera haud raro molestissima redditur vita militibus gregariis.

2) Testimonia, si quae adsint, respiciat magistratus loci etc., etiam commilitonum indiciis, quorum interest verum cognosci, fides habenda est.

3) Quodsi suspici potest, fingi morbos et contumaci ratione perseverari in fraude, artis remedia aegroto praescribat, tenuem victum, medicamina amara, foetida, vesicantia, sinapismos acres, angat simulatorem confirmando, extremum morbi remedium esse operationem chirurgicam periculosam atque dolorosam, cauterio utatur, vel instrumentorum molem afferri jubeat aliaque apparari, quibus vulgo ad confitendum verum incitari soleant deceptores.

Quae reliqua sunt remedia magis ad singulos morbos spectant, quos modo sum enumeraturus, et quali ratione sint deprehendendi qui eos simulent, adjecturus.

II. Singuli morbi eorumque detectio.

A. Omnes fere animi mentisque morbi, ut insania, mania et quas supra (Cap. II. I.) commemoravi vesanias; sed difficillime ita simulantur, ut verae a fictis non facile discerni a perito medico possint. Saepius haec mala ii accusant, qui commissis sceleribus supplicia aut alias poenas graviores effugere conantur.

B. Nervorum morbi quidam ut

1) sonambulismus. Brevi invenies, fictusne an verus sit, accurate symptomata praecipua observando, et qualis valetudo fuerit antea, diligenter investigando.

2) Spasmi et convulsiones, imprimis epilepsia. De hoc morbo, quum saepissime fingatur, copiosius disserere mihi liceat. Explorandum primum est, num jam ante militandi tempus, quo nulla simulandae epilepsiae causa erat, hoc malo affectus fuerit homo. — Deinde si praeter ipsum epilepticum ejus familiae plures reperiuntur, qui hoc morbo laborant, vel si certae causae adsunt, quae epilepsiam adducere solent, quales sunt nimius terror, timor, exanthemata subito suppressa, exinanitiones, indigestionis vitia: verisimilius fit, morbum esse verum. Confirmatur praeterea morbi veritas et antecedentibus paroxismo epileptico signis, ut aura epileptica, vertigine, cephalaea, urgente ad caput sanguine, scintillis oculis obversantibus, et insequentibus malis, ut hebetudine animi, oblivione, aphonia. — Tum ipse paroxysmus est anquirendus, quomodo symptomata sequantur et congruantne cum veris. Vera enim in epilepsia omnino convulsionibus agitatur corpus omni affectione carens et sensu, qui nullis rebus excitari potest, nisi in ficto morbo. Vera epilepsia cruciatus saepe locis desertis, ubi solus est, concidit, non raro caput manusque vulnerat;

simulantes contra quacunque, quae commoda suis finibus videatur, occasione placide procumbant humi, antea circumtuiti, ne durius membra affligerentur. Vulgo per duodecimam vel maximè quartam horae partem manet paroxysmus verus, simulantes diutius eum sustinent. Veri epileptici pupillae sine sensu in lucem convertantur, simulantium oculi fere clausi sunt, praecipue allato candelae lumine, ubi pupilla vehementer contrahitur. Nec pulsum spasmodicum et irregularem imitari poterunt, qui fingunt epilepsiam. Idem ad excitandam spumam aut sapônis particulam linguae supponunt aut movent linguam certo quodam modo. Postremo nec remissionis paroxysmi tempus negligendum est. Simulantes enim epilepsiam scena peracta statim sensuum ac motuum integritatem recuperant; at si sopor paroxysmi finem facit, si extravasata nascuntur et petechiae, si ungues livescunt, si denique insequuntur dolores, veram esse epilepsiam pro certo habebis.

3) Paralysis extremitatis cujusdam, ut brachii. In hoc morbo, si desunt vulgo conjuncti dolores, affectiones sympathicae alius partis vel organi, ut cerebri, si partis paralyticae non invenitur sensus minor, pulsus debilis et parvus, atrophia vel tumor oedematosus, qui facile quidem applicata ligatura ad partem extremitatis superiorem excitari potest, praeterea si simulari paralysin jure suspicis, fraudem ita optime deteges, ut morbum fictum tanquam verum cures, ut igitur remedia dolorem moventia, ut vesicantia, moxam, ferrum candens, ictus electricos crebras validasque adhibeas. Plerumque tum paralyticus fictus, tali modo tractatus, brevi sanum se esse dicet. Etiam hac ratione fraudem deteges, ut morbum simulanti inscio opium suggeras et dormientem titilles, tum facile aegrota extremitate locum irritatum fricabit.

4) Ischias quoque et arthritis et rheumatismus saepe simulantur, sed partim quaerendo semper, qualiscunque sit

coeli temperatura, partim improvise invisendo aegrotum, quem ludentem vel graviores sustinentem labores nonnunquam animadvertes, fraudem detegere poteris. Ita quoque simulationem deprehendes, ut drasticum ei validum suggeras, quo capto, si solum se esse putat, latrinam petet non lento gradu et claudicans, sed saepius celeriter currens.

5) Surditas persaepe fingitur et prudenter admodum simulantium fraudem deprehendere sane est difficile; tamen nonnunquam verum revelabis fabulando temere, de origine, diuturnitate mali aliisque rebus libere et quasi sincere loquendo, deinde tamquam aequo animo invalidos eos declarando. Tum abeuntes et aliquanto jam remotos, veluti addas aliquid, revoces, ubi nonnunquam artis immemores audiendi se facultatem habere demonstrabunt. Explorari quoque res bene poterit, si interrogationes improvisae proponantur, si clam observetur homo, dum solus est, num ad mutos tumultos et clamores ac strepitus attendat, si cum dormit, vehementi fragore tumultus concutiatur, quo patefiat, num exsuscitetur. Etiam fonticuli, setaceum, infrictiones acres continuatae ad aurem, propter dolores tali modo natos simulantes sanabunt.

6) Mutitas ficta interdum proditur, praecipue quum suspicio simulationis suscitata est, observando hominem, dum solus est, num secum loquatur, vel remedia dolorem excitantia adhibendo, quibus ad vocem edendam cogitur.

7) Amaurosis nonnunquam artificiose belladonnae vel hyoscyami extracto efficitur, sed subrubri fiunt talibus remediis oculi et facile verum invenietur.

8) Qui myopiam simulant, conspicillis deprehendi possunt.

9) Haemoptysis et haematemesis; ad hos morbos simulandos aut gingiva laeditur, exsuctusque sanguis exspuitur, aut vesicam fraudatores piscis in os sumunt cruoris plenam, quam inter tentamen comprimendo, vel morsu

aperiunt, et ita haec mala fingunt, aut bovillum sanguinem ante haustum evomunt, imprimis ii, qui vomendi potestatem habent voluntariam. Inspectus cruor evomitus, anquisita cetera corporis valetudo, comparata symptomata veri morbi cum casu suspecto, custodia denique hominis severa, utrum fictus sit morbus an verus, ostendent.

10) Pectoris dolores ejusque imbecillitas saepenumero finguntur, neque facile est, simulantes fraudem coarguere. Verus morbus a medico testimonio confirmandus est, qui ante aegrotum tractavit. Primo inquirendum est, num habitus phthisicus adsit, qui his signis cognoscitur: statura perlonga gracilique, collo et facie longa, humeris prominentibus, pectore plano, dentibus albis, cute tenera, rubore genarum circumscripto, difficultate animam alte trahendi. Verum nonnulli paucis noctibus ante perquisitionem somno se exuunt, vel paullo ante vomitoria capiunt, quapropter providentia medico adhibenda est. Si dubia pectoris imbecillitas ei videtur, optimum est, in annum proximum militiam deferri.

11) Paralysis sphincterum. Summam indignationem iramque movent, qui hoc se morbo laborare simulant; vix tolerari possunt in nosocomio, praesertim quum interdum vere oblectari videantur squalore et sordibus detestabilibus. Ejus hominis primo perquirendus est sphincter ani, qui si super digitum se contrahit, opium cibique solidi praescribantur, custosque apponatur fidus. Quodsi in lecto inveniuntur excrementa solida, in judicium bellicum est citandus talis deceptor.

Nota. Hujusmodi casus memoratur in Froripii ill. notis ex naturae et medicinae ambitu vol. 18. pag. 270. Simulantem quendam sphincteris abolitionem cauterio glutis admoto, celeriter sanatum esse. Etenim jam inter ipsam operationem magna voce sanum se esse seque simulasse morbum clamavisse.

12) Incontinentia urinae etiam frequentius simulatur, sed facile multo opio suggesto effici potest, ut somnus minctionem superet. Talis enim hominis expergefacti lectus si siccus invenitur, fingi enuresin patet.

13) Ad haematuriam simulandam homines rubia tinctorum, rheo, opuntia, croco pluribusque vescuntur; custodia severa, qua ne quid talium remediorum ei afferatur, prohibetur et accurate inspecta urina fraudem ostendet. Praeterea sanguine per urinae vias excreto, jubeat medicus simulatorem vase vitreo puro urinam coram excipere suam, et si ab acribus medicamentis sanguinolentam urinam productam fuisse suspicio adest, oleosa atque mucilaginosa remedia propinentur, quae malo huic brevi medebuntur.

14) Ad adducendam cachexiae speciem tirones pridie tentaminis cepam vel allium in anum immittunt. Odor hujus herbae in tali conditione medico facile causam mali praebebit. — Icterica cachexia fucata fuligine aqua distemperata aut pigmento ex terra umbra, quae dicitur, et radice curcumae facto fingi potest.

Jam sequuntur notae generaliores, quae ad hanc rem pertinent. G. N. Isfordink (in sanitatis disciplina sua militari, imprimis ad Caesareos Austriae exercitus referenda, Viennae 1825. §. 21.) proponit, ut tales homines, qui laborare se certis morbis incurabilibus, ut haemoptysi, vertigine, epilepsia, mania intermittente, melancholia aliisque vitiis, et has ob causas ad militiam se esse invalidos perhibeant, prohibeantur etiam a foedere connubiali, ne liberos procreent aegrotos, neve maturius viduas reddant conjuges. Quodsi hoc praecepto imminuerentur quidem morbi simulati, tamen lycurgicam hanc legem optimo jure excerceri posse mihi quidem valde dubium videtur. Quoniam autem in eo statu, in quo ars medica nunc versatur, nondum tantopere profecimus in diagnosi pathologica, ut ad-

esse morbum quemque pro certo confirmaremus, aequum videtur, hominibus simulatione tandem invaliditatis testimonium adeptis, postquam valetudinem recuperarunt, vel de fraude felici gaudium prae se tulerunt, testimonium illud adimi, ipsos ad duplex militiae tempus cogi, quam fraude omissa armis uti debuerunt. Quapropter etiam post declaratam invaliditatem observandi erunt vel exploranda eorum valetudo.

VITA

EX DECRETO

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS DESCRIPTA.

Ego, Joannes Theodorus Ohmes, natus in pago Voerste minore prope Hildesiam a. VI. d. Idus Decembris Anni MDCCCIV., catholicae confessioni addictus sum. Primam aetatis partem in domo paterna transegi ibique in pagi schola literarum principia hausi. Ut vero animum disciplinis sublimioribus imbuerem, deinde anno aetatis duodecimo a parentibus, qui jam proh dolor, nimis mature e vita decesserunt, Hildesiam missus sum, quo Gymnasium Josephinum ibi florens sex frequentavi annos, omnibusque praelectionibus, quae in Gymnasio tradi solent, interfui. His interpositis annis et cursu gymnasiali absoluto Anno 1824 ineunte semestre hiberno universitatem Georgiam Augustam Goettingensem adii et Prorectore magnifico Steudlino a X. d. Kalendas Novembr. ejusdem anni numero civium academicorum adscriptus sum. Per biennium ibi moratus his interfui praelectionibus: ill. Schulzii de logica et encyclopaedia philosophica; ill. Schraderi de botanica universali et medica; ill. Mayeri de physica; ill. Strohmeieri de chemia experimentali et pharmacia; perill. Blumenbachii de physiologia; doctiss.

Lappii de anatomia et physiologia animalium domesticorum et de pathologia atque therapia et chirurgia eorumdem; ejusdem de habitu equorum eorumque per foeturam cultu, itemque de materia medica et medicina forensi veterinariis; deinde exercitationes in instituto veterinario clinicas frequentavi.

Anno 1827 ineunte semestre hiberno Berolinum petii, ubi in universitate literaria Guilelma medicinae et chirurgiae studerem, et Rectore tum tempore magnifico ill. Bethmanno-Hollwegio in civium academicorum numerum receptus, alboque facultatis medicae decano t. t. ill. Rudolphio inscriptus sum. Per semestre hibernum 18$\frac{27}{28}$ me docuerunt: osteologiam, syndesmologiam, splanchnologiam ill. Knape; anatomiam universalem, anatomiam organorum sensuum et foetus humani specialem ill. Rudolphi; anatomiam practicam in cadaveribus resecandis ill. ill. Rudolphi et Knape. Semestre aestivo 1828 encyclopaediam medicam et methodologiam ill. Rudolphi, iidem anatomiam comparatam etiam et physiologiam; zoologiam vero cell. Lichtenstein; historiam naturalem, botanicen et toxicologiam ill. Link; mineralogiam cell. Rose; semioticen cell. Hecker. Per semestre hibernum 18$\frac{28}{29}$ ill. Rudolphi anatomiam pathologicam; cell. Hekker pathologiam generalem; cell. Reich pathologiam specialem; cell. Osann materiam medicam; ill. Link pharmacologiam me docuerunt. Semestre aestivo 1829 haec audivi collegia: therapiam generalem docente cell. Hekkero; therapiam specialem ill. Friderico Hufelando; chirurgiam generalem et specialem docente cell. Jüngkenio; akiurgiam docente ill. Klugeo; formulare docente ill. Knapeo. Per semestre hibernum 18$\frac{29}{30}$ me docuerunt: ophthalmologiam cell. Jüngken; anthropologiam forensem cell. Wagner; psychologiam et anthropologiam ill. Hegel; artem obstetriciam theoreticam cell. Busch. Exerci-

tationibus autem clinicis interfui virorum ill. Klugei Wagneri et Rusti de morbis venereis, de chirurgia et ophthalmologia, de chirurgia. Frequentabam etiam institutum clinicum ducibus ill. Bartelsio et cell. Wolfio. Semestre aestivo 1830 ossium fracturas et luxationes atque fascias applicandi artem ill. Kluge me docuit, et ducibus ill. Bartelsio et cell. Wolffio exercitationibus clinicis medicis incumbebam, ac duce cell. Buschio clinicum obstetricium atque duce cell. Jüngkenio clinicum ophthalmiatricum frequentavi.

His studiis peractis Potisdamium me contuli ad medici militaris munus suscipiendum.

Omnibus praeceptoribus optime de me meritis oblata hac occasione maximas gratias ago, et sincero animo polliceor, me nunquam beneficiorum ab iis in me collatorum memoriam ex animo esse demissurum.

Jam vero tentamine, tam philosophico, quam medico, nec non examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine absolutis, spero, fore ut dissertatione inaugurali thesibusque palam defensis, medicinae et chirurgiae doctoris gradus rite mihi concedatur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Specifica medicamina existunt.

II.

Divisio gangraenae in humidam et siccam, illae in calidam atque frigidam est praeferenda.

III.

Urina ad morborum diagnosin maxime confert.

IV.

Neque medicamen neque venenum absolutum.